

Ann. VI.

Num. III.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

BIS IN MENSE PRODIT

Premium annuae subnotationis, *ante solvendum*, est: in Italia Libellarum 10;
ubique extra Italiam Lib. 15; M. 12; Sch. 12; Doll. 3; Rubl. 6; Flor. 7½.

Inscriptiones et omne genus indicationes pretio aequissimo referuntur, quod est in extremis commentarii paginis
Lib. 0.50 pro unoquoque centimetro quadrato

Cuncta mittantur ad ARISTIDEM LEONORI equitem, commentarii VOX URBIS possessorem et administratorem

ROMA — Via Alessandrina, 87 — ROMA

Subnotatio fieri potest:

IN RUSSIA

Apud GEBETHNER ET WOLF Apud "KRONIKA RODZINNA," Apud BURNS AND OATES
— — —
VARSAVIAE POLONORUM VARSARIAE POLONORUM LONDON W. NEW YORK CINCINNATI RATISBONAE in BAVARIA

Rakowskie Przedmiescie, 15.

Krakowskie Przedmiescie, 6

28, Orchard Street.

52, Barclay Street. 436, Main Street.

IN GERMANIA

Apud FRIDERICUM PUSTET S. Sed. Ap. et S. Rit. Congr. Typ.

IN CANADA

Apud LIBRAIRIE GRANGER FRÈRES
MONTREAL
1699, Rue Notre-Dame.

RERUM INDEX

LUCIDUS MARIA PAROCCHI	Vox Urbis.
AD COMMENTARIUM « VOX URBIS » SALUTATORIAE LITTERAE	L. M. Parocchi.
DE HISTORIA ET GEOGRAPHIA IN SCHOLIS TRADENDIS	H.D.V. Pieralice.
SELECTA EX BIBLIOTHECIS ET ARCHIVIIS. Tigris marina	I. B. Rosani.
DE « FIDIBUS »	A. Costaggini.
DE BASILICA « S. MARIAE ANTIQUAE » AD RADICES PALATII INTEGRE DETECTA	Romanus. Senior.
DE SYMBOLIS QUAE DEIPARAM RESPICIUNT	Fr. Xav. Reuss.
FABULAE SELECTAE FONTANII A IOANNE BAPT. GIRAUD LATINE REDDITAE .	Hersilus.
BESTIOLAE CANTANTES IN IAPONIA	P. Alexis.
SERPENTES ET VENENA SERPENTIUM	Poplicola.
ANNALES	Scriba.
PUBLICI PER ORBEM COETUS LEGIBUS FERENDIS	P. Angelini.
LIBRORUM RECENSIO	C. Dehò.
NICOLAI MACHIAVELLI SENTENTIAE	Latine reddidit
AENIGMATA	M. Fusco.

In tertia operculi pagina:

VARIA: Canis medicinam faciens. - Herbae semina carentia risum.
Vetustissima bibliothecarum. - Ioci P. d. V.
LIBRI RECENS DONO ACCEPTI.

EX OFFICINA PACIS, PH. CUGGIANI

35, Via della Pace

MDCCCCIII

* SOCIETAS LATIALIS EDITRIX — Romae, Corso Umberto I, 219. *

LA LEGGE

MONITORE GIUDIZIARIO E AMMINISTRATIVO

An. XLIII

Commentario huic, de rebus forensibus deque rei publicae administratione monenti, grandis quidem mutatio hoc anno MDCCCCIII allata est. Non solum enim annuae subnotationis pretium, quod libell. 36 hactenus fuit, ad libell. 24 imminutum est (*extra Italianam lib. 30*); sed longe auctus commentarius dabitur sociis, qui bis in mense fasciculum accipient paginis LII, iisque magnis ac bifariam divisis, constantem. Exeunte autem anno, universi iuris supellectili (*vulgo repertorio*), ex Italorum commentariis forensibus omnibus deprompta, donabuntur.

In commentarium **LA LEGGE** redigendum plus triginta viri inter clarissimos iuris peritos incumbunt, ita ut omnium huius generis absolutissimus sis existat, temque qui minimo pretio veneat.

FASCICULI SPECIMINIS GRATIA GRATUITO MITTUNTUR.

Omnia quae ad commentarium attinent sic inscribantur:

Società Editrice Laziale

ROMA, CORSO UMBERTO I, 219.

Subnotatio binos commentarios complectens **LA LEGGE & MINERVA**
libell. 31, loco libell. 34, datur.

MINERVA

RIVISTA DELLE RIVISTE

An. XIII

MINERVA ex probatissimis totius orbis commentariis excerptis atque in epitomen cogit summi momenti scripta, quae de doctrinis, de ratione civili, de religione, litteris, bonisque artibus omnibus vulgentur. Singulis dominicis diebus XXIV magnis paginis prodit, praeter operculum, quod pag. VIII constat.

Praemia lectissima sociis conferuntur.

Pretium annuae subnotationis est
libell. 10; extra Italianam libell. 12,50.

FASCICULI SPECIMINIS GRATIA GRATUITO MITTUNTUR.

Omnia quae ad commentarium attinent sic inscribantur:

Società Editrice Laziale

ROMA, CORSO UMBERTO I, 219.

SOCIIS MONITUM.

Sociis pluribus morem gerentes idib. Novembr. an. MDCCCCII apud Commentarii *Vox Urbis* administratorem officium instituimus, quod de negotiis Ecclesiasticis sit; de expediendis scilicet rationibus omnibus, quae apud Romanæ Ecclesiae « Congrationes » aguntur.

Itaque si quis procuratione nostra uti velit, profecto temperantiam in pretio, studium atque alacritatem in opere inveniet.

VOX URBIS

DE LITTERIS ET BONIS ARTIBUS COMMENTARIUS

PRETUM SUBNOTATIONIS:
In Italia: Lib. 10 — Ubique extra Italiam:
Lib. 15, M. 12, Sch. 12, Doll. 3, Rubl. 6, Flor. 7 1/2.

BIS IN MENSE PRODIT

POSSESSOR ET ADMINISTRATOR:
ARISTIDES LEONORI, eques,
ROMAE - Via Alessandrina, 87.

LUCIDUS MARIA PAROCCHI.

VIRI purpurati interitum, qui nostris ab exordiis inceptui insolito ita favit, ut testes benevolentiae suae litteras in primis *Vocis* nostrae paginis evulgandas dederit, vehementi tristitia, quam fovet grati animi sensus, hodie lugemus. Quod si uno verbo erunt Lucidi Mariae Parocchi dicendae laudes, fatendum praelestum summi ingenii vim summamque cuiusvis doctrinae, vel recentissimae, notitiam una cum moribus piissimis, atque christiano sacerdote vere dignis, pietate, comitate, modestia, et pene dicam tenuitate vitae virum illum collegisse.

Quibus animi dotibus quadusque Pontificis summi vices in Romana dioecesi regenda sustinuit, populi animos ita sibi devinxit, ut illius nomen passim cum veneratione per os civium insonaret. Modo qui dilexerant vivum, mortuum desiderant profuso fletu, dum arridet simul caelestis spes de proemio supernis virtutibus et doctrinae eius concesso.

Quod spectat ad nostra, auspicem, inquam, operis nostri amissum dolemus, virum summa eruditione dicendi scribendique ita excultum, ut iure *omni laude cumulatus orator* habitus sit. Quam quidem laudem, ut Dei ministrum decebat, in sacris disciplinis primum est assequutus, divinarum rerum praesertim et Sacrae Scripturae interpretandae doctrina, qua imbutus tamquam tutissimo fundamento inniti sese creditit. Philosophiae etiam ita vacavit, ut non experimentum modo, cum in sacro ephebeo Bononiensi legit, diu ediderit, sed deinde quoties diceret aut e suggestu aut de plano comparatam inde labore maximo veritatis lucem ostenderet.

Attamen non unum hunc studiorum ambitum sibi definivit, sed omnia pene est prosequutus alaci et avida mente, quae hodierna praesertim humanitas latius in dies progressa congesit, ius, historiam, liberalium artium doctrinam atque recentissimam, quam vocant societatis disciplinam, seu « sociologiam ». Quare vel in conventibus academicis aut scholasticis,

quos non facile numeres, quibus quotannis vel ex officio vel ex urbanitate aderat, ad dicendum plerumque invitatus huiusmodi uberrimam sapientiam fuse atque funditus sibi et undique perspectam praestabat orationibus, non modo veritate et gravitate doctrinae, sed etiam arte dicendi exquisita. Inde omnes mirari passim quomodo vir tot curis distentus omnia omnis generis persequi valeret, omnia investigare et perlegere, et lecta ita potenter retinere, ut librum nocte vix una delibatum, defixum deinde alta mente et tenaci haberet. Hac admiratione iuvenes nos ad Sancti Stephani templum eum audivimus theologicas altissimas veritates disputantem, ac deinde in Arcadum academicis coetibus de litteris et bonis artibus, de poetis, de artificibus dicentem summa venustate et vivissimo pulchritudinis sensu.

Memoranda haec eo potissime, quod tot laborum monumentum vix reliquerit, nec sane adaequatum, *Sermones*, sive quos edidit contra haereticos luteranos vel falsos philosophos, qui a ratione nomen usurpat, sive quos alias alibi enunciavit, panegyricas vel funebres orationes, vel academicas, sive in summorum virorum aut Pontificum, sive in sanctorum laudem recitatas.

Natus erat idibus Augustis an. MDCCXXXIX Mantuae. Quintum lustrum emensus inter clericos cooptatus, Romam venit, ubi in Gregoriano athenaeo mira laude studiorum curriculum excipiebat. Tres supra viginti annos natus sacerdotio auctus, sequenti anno sacrarum disciplinarum lauream assequutus est. In patriam redux has disciplinas, Ecclesiae historiam ac civitatem et ius canonicum, sacros tirones docuit. Mox curio adlectus animarum fungi curis coepit, quas viginti annos summis laboribus perduxit, usquedum ad Papiensem Episcopatum Pius IX Pontifex eum vocavit. Biennio post, ad Bononiensem cathedralm est translatus, eodemque anno saera purpura decoratus. Leo XIII deinde ad Episcopale munus in Urbe sua vice gerendum ex Bononia adlegit, quod cum Albaniensi sede ac deinde Portuensi etiam cumulavit. Theodulpho Mertel, S. R. E. Cardinali Vice-

Cancellario vita functo, eius in locum successit, quo in munere non tam annis plenus, quam ob diurnos labores morbo saevissimo fractus, XVIII kal. Febr. placide quievit in Domino.

VOX URBIS.

AD COMMENTARIUM "VOX URBIS",
LUCIDI MARIAE PAROCCHI SALUTATORIAE LITTERAE.⁽¹⁾

INGENS nuperrime orbem pene totum desiderium pervasit, doctissimos quosque ad idiomatis unitatem revocandi. Experimentum ad id sumptum in irritum cessit, cum potiusquam unum inter plura loquendi genera eligeretur, antiquitate, diurno usu, vi et ingenita perspicuitate praecellens, novum ad lubitum effictum est, idque sapientia vacuum et elegantia, impervium, barbarum, quod simul ac rerum novarum captatores aggredi coeperunt, litteris exculti homines, consensu unanimi, abiecerunt.

Verum latina lingua, vel aeo nostro doctorum exercitatione probata, iis pollet dotibus, quibus universim, perinde ac generis humani idioma, haud difficile usurpetur. Ea nimur Vergilium aluit et M. Tullium, Horatium, Catullum, T. Livium et I. Caesarem, Sallustium ac Tacitum, Terentium et Plautum, Phaedrum et Cornelium Nepotem. Terram, imposito iure, edonuit, temperavit aequitate; christiana fide abluta, divinam patefecit sapientiam, sacrisque praefuit operandis. Nec eam humanae philosophiae cultores negligere passi sunt, cum praeter Scholasticos, aevi renascentis principes, quos inter memoro Nicolaum Cusanum atque Copernicum, in deliciis habuere, et post eos clarissima illa metaphysics et historiae naturalis lumina, Leibnitius atque Linneus.

Tempestive proinde ephemeridem in Urbe edendam Viri amplissimi excogitarunt, quae novos ac veteres divinae humanaeque sapientiae thesauros proferens, latinam indueret maiestatem.

Coepit opus gratulor vehemente, D. O. M. adprecatus, ut late per orbem diffusa, Vox URBIS, oborituro iam saeculo, dominicam vocem praecurrat.

Ex Aedibus Vicariatus,
Romae, idibus Octobribus M.DCCC.XCVIII.

LUCIDUS M. Card. PAROCCHI.

(1) Cfr. an. I, num. I.

DE HISTORIA ET GEOGRAPHIA
IN SCHOLIS TRADENDIS.

Si pietas est avorum colere memoriam, si foecunda bonorum privatis publicisque rebus est ars, quae patrum nostrorum maiorumque nomina, praeclera horum facinora et sapienter dicta saepe memorat, ut posteri ad imitanda, immo ad aemulanda excitentur, si flagitosorum hominum recordari scelera utile quoque persaepe est, ut a vestigiis eorum persequendis posteri deterreantur, et nomina non minus quam facta perhorrescant infamiamque rebus ac nominibus impositam vereantur, non minus decet locum, in quo sumus, domum in qua versamur recte cognoscere, nec esse nobis licet externarum cupidis rerum, nostrarum incuriosis. Duplice ab instinctu hoc, non a more, non ab usu, sed a natura ipsa humani generis orto et a conditione nostra communis Historiae disciplinae omnes, omnes Geographiae disciplinae processerunt, quae non a cultu hominum sumpsero principium, sed quodammodo praecesserunt; nascimur enim antequam excollamur, nec perfici possumus, nisi prius esse coeperimus qui postea perficiamur. Quod quidem potest quisque lubitu suo intelligere si puerorum mores consideraverit, quos vel nunc ad manus habemus. Quaeso enim quid est curiosa illa puerorum et irrefrenabilis, prope dixerim, rabbies, qua omnes domorum angulos perserutantur, quaeque recondita querunt visuri, tractare manibus gaudent, aequalibus ostendere, vicina et longinqua conspicere, et si ager, si hortus, si viridarium in proximo fuerint, a limite ad limitem peragrari passibus, ad palmum usque, ad frustulum omne cognoscere, revisere, frequentare? Geographicus instinctus est; nil amplius, nil ultra quaeras. Et quid est illud nescio quid, at maximum tamen, quo pueri te sequantur, tecum sint, assideant, a narrantibus tuis pendeant labiis inquietae suae indolis prorsus obliti si fabellas promiseris, si historias narraveris mirabiles, si narrationem tuam prodigialiter gigantibus, geniisque intertexeris, Horatio audacter despecto, adversus te reclamante incassum:

*Nec Deus intersit, nisi dignus vindice nodus
Inciderit?...*

Historicus instinctus est... Perfice igitur utrumque instinctum, artem, consilium, intellectum, experientiam adhibe, et historicam habebis pariter et geographicam disciplinam, natura duce provocatam, inchoatam, sapientiae coordinantis, distribuentis et lima, et mora, et labore perfectam.

At quo fit ut puer, quam illi praceptor lectionem dederit, sive historicus sit, sive geographus, non aequis respiciat oculis, et defatigata mente suscipiat? Quia de causa, fatalibus elapsis diebus, quibus de utraque periculum faciundum est, in pestem ac tartara utraque amandetur, librique, volumina, in quae toties incubuere discipuli, super quibus toties palluere discentes, memoriae, psytacorum ritu, verba mandantes, in araneoso angulo armarii deponantur, et, quodam sacrilegii metu, non ultra legendae chartae illae resumantur?... O facetum, o lepidum Catulli ingenium, quo condiscipulus meus usus est, qui spectabili quidem

loco in pluteis amoena bibliotheculae suaे historicos libros et geographicos, quibus in scholis diu cruciatus fuerat septem circiter annis (non « annos »; perspicie acumen hominis!) collocaverat, at super inscriptionem posuerat a Catullianis nugis depromptam in religatos:

Annales Volusi cacata charta (1).

Quo fit hoc, quo fit, ut adversus naturae vota illi pergant, qui aetatis causa naturae inclinanti, quam praecepienti aut vetanti intellectui, magis et libentius obtemperant?... Unice ex hoc, quia a studio, quod iucundum non sit, omnes refugimus. Atque ideo in unum hoc puto omnes esse intendendos nervos, conatus, omnem praeeceptoris adhibendam industriam ut spinas, ut tribulos a campo, ab horto hoc arceat. Qui si fecerit, protinus videbit per laeta illa non deambulare, sed exsultare, sed discurrere gestientes discipulos suos.

Et quidem video apud Anglos, apud Francos, apud Germanos maximi haberi utramque disciplinam, et in athenaeis, in scholis qui buscumque ad eruditioinem hanc impertendam novas constitui horas auditionum; lectionum, praedicationum horas numero auctas, non pulchra et rationabili ratione decoratas, desiderabiles factas. Quid erit inde? Numquid profectus maior?... Nihil, praeter maius fastidium taediumque audientibus, pudorque docentibus acrecens. Non tempus pueris, sed voluntas deest. Atqui voluntatem excitabit, si non plagosus Orbilius, — verbera enim a scholis nostra aetas dimovit humanior, — certe superciliosus multo magis examinator, qui segnes puniet, damnans eos iterum ad transtra scholae, quae, infausto alite, praeterito anno occuparunt. At huiusmodi punitio illuc redit, unde condiscipulus ille meus demigravit. Novo anno eosdem petent sulcos, quos iam scalpserant; profundius vomer ageatur, aliquid sementis inseretur solo repugnant, et herbescet aliquid, et aliquid germinabit, praesertim si domi paterfamilias indignans prodiga manu dederit verbera, quibus, quasi stimulis boves, cedere, parere, et progredi necesse est. At quid inde? Studebuntne? Incubent, sed minime studebunt, quia non amabunt.

Omnis igitur quaestio tota in hoc est, ut inventiatur ratio, qua amabile fiat studium; amabile autem est quod delectat. Verum ipsa delectatio duobus quasi cardinibus, sive spiritum, sive corpus pertineat, innititur, quorum si alter desit, alter quoque deficiat necesse est. Primusque et princeps est ille, qui naturae conveniat gavisuri; alter, qui non difficultatibus nimis saepiatur et intolerandum praeferat sive damnum, sive incommodum quaerenti. Itaque quotquot historicas et geographicas res impertinent adolescentibus prae ceteris curare debent ut, quae docent, naturae puerorum quodammodo respondeant, et, quae discenda sunt, ita proponantur, ut neque multitudine obruant animum, neque varietate perturbent, commisceant, confundant, neque tenebrisiosis imbuta et involuta praeceptis mentes dissentium fatigent; sed varietate iucundent, multitudine ditent, praeceptis iter facilis et proclive sternant, abeuntibus blandiantur, conantes permulceant non modo, sed auxilio sint, sed opitulentur.

(1) CATULL., lib I, XXXVII.

Nos, qui utraque in disciplina in scholis nonnulla experti sumus, pauca fusori elucubratione exponemus, in qua sine ira et studio, sed veritate rerum tantummodo erunt proposita, proposita ad discipulorum utilitatem.

H. DE VECCHI PIERALICE.

SELECTA EX BIBLIOTHECIS ET ARCHIVIIS. (1)

Tigris Marina.

*Tristitiam fugiens, caelo et fruiturus aperto,
Hesterna vacuus per compita luce vagabar;
Ast ubi Flaminiam veni, qua proxima surgit
Sacra tibi, Marcella, domus, bipatente taberna
Occurrit porta, ingenti quam turba premebat
Obsessam numero, sedes penetrare latentes
Discipiens, luctansque, gravis dum iussa legebat
Aera sedens quaestor. Discendi attractus amore
Adproprio, nummoque dato, fert unda ruentis
Me populi introrsum. Lampas pendebat ab alto
Lustratura locum; media constabat in aede
Lignea concha, capax, oblonga, intusque repostas
Nescio quid fremitu lymphas agitabat acuto.
Circum aderant stipati omnes, defixa tenentes
Lumina in obtutu, surgens cum rite Magister
Instructus dextram baculo sic farier infit:
— « Audite, Aeneadæ o magni, linguisque favete,
Dum resero miranda animis. Quam cernitis, iste est
Piscis hyperboreo veniens ex aequore: Phocam,
Aut Vitulum, aut Tigrem veteres dixere Marinam.
Indole saevit atrox, virtus ast itala divum
Mollit ingenium, iussitque inducere mores.
Moribus adspectus respondet; vivida inardet
Flamma oculis, fronti decus addit gratia, totum
Corpus obit pellis ritu variata venusto.
Si tibi vera loquor, gens alta e stirpe Quirini,
Tu modo testis eris ». Nec plura effatus, in artes
Impiger incubuit miras; atque ecce repente
Excita imperio, notaeque assueta loquelae,
Constitit in bifidam sublato corpore caudam
Bellua, barbatae ac domini dedit oscula malae
Tam suave, ut melius nesciret amicus amico.
Attoniti stupuere omnes, plausuque benignos
Excepere modos: laudis dulcedine tacta
Lumina tunc blande circumfullit illa, rependens
More hominum grates: simulac datur esca, ferentis
Basiat ante manus, oblatam absorbet hiatu
Hinc uno praedam, qualis resupinus Ulyxus
Mandebat socios quandam Poliphemus in antro.
Si praecepta monent, auras nunc efflat apertis
Naribus, horrisonos profert nunc ore boatus,
Nunc ducis arbitrio docilem se praebet alumnus,
Promptus et ad nutum partes se versat in omnes.
Illi pulchra placent, ac forma arridet honesta;
At si forte occursat anus, cui plurima curvo
Lustra humero insident, rugis ac vultus aretur,
Ringitur, insufflat, torvumque tuetur acerba.
O si Pasiphae superas remearet in auras,
Piscis et istius faciem cultumque videret,
Certe exosa bovem, hoc uno caperetur amore;
Tantum nostra potest aetas adiungere rebus!
Prona ego te veneror, saecli o sapientia, fronte,
Et cytharam tibi sacro libens: hoc pluribus unum
Deerat inventis, ipse ut maris incola ritum
Humanum indueret. Natura arrisit, et omnes
Caeruleae iam digna ferae portenta per urbes
Iverunt passim: nunc, nunc potes ire superbum
Sorte tua, o saeclum! Fieri quae posse negabam.
Omnia iam fient! Vos, o vos, fata, novellas
Accelerate vices, ut possim aequare canendo
Quidquid in apricum veniet, novitate magistra!*

Script. Romae an. MDCCXLII.

IOANNES BAPT. ROSANI, Sch. Piar.

(1) Iucundo hoc carmine, quod ex Urbano archivio Scholiarum Piarum depromi nobis concessum est, novo commentarii capiti, quod sociis promisimus, initium datum. Scriptum soluta oratione proxime sequetur: interim socios omnes hor tamur ut si quid superiore tempore latine scriptum ac nondum editum habeant, vel parum cognitum, sive alter apud *Voxem Urbis* se facile commendandas, mittant; nos libenter locum in commentario dabimus.

DE « FIDIBUS ».

MUSICAS inter organa, recentissimae quidem inventae fides habentur. Eas praevenere testudines, citharae, lyrae, aliaque eiusmodi, quoque Normanni populi, per Europam diffusi, organa plectro ludenda secum quinto circiter a saeculo p. C. attulere. Maioris modi fidium minores ad instar fabrefactae, earumque saeculo praesertim decimosexto, organarii opifices, mensuram et rationes tuta norma statuerunt, ut earum ex ligno corpore sonitus, suavitatis, vis, variaque modulatio prodirent.

De primo huiusce organi fabro etsi sub indice adhuc lis est, consentiunt plerique Brixiae anno MCCCCXLIX primum fides exstructas a Ioanne Kerlino genere Armorico; circa idem vero tempus peritissimi fidium fabri celebrantur Dardellius Mantuanus, Duiffo Tirolensis aliisque, qui tum in Italia, tum in Gallia ea arte vivebant.

Mox Cremonenses fabri Amati nomine, certas regulas ut fides optime perficerentur constituerunt: lignorum speciem, mensuras, manubrii longitudinem, colorem ad illiniendum; quea omnia, experientia duce, ita praescripta sunt ut puras, suaves, sonoras voces organa haec musica efferent. Res vero tam prospere gesta non uni fabrili experientiae tribuenda, sed subtili quoque investigationi, qua in ausu tentando artifices ducebantur. Quinimo sonitus disciplina recens admodum proiecta, postquam de fidibus exstruendis diu investigasset, magis magisque ostendit quanta sapientia Amati illi fabri in re ducti fuerint.

Post Amatam gentem, Guarneria artem eamdem est prosequuta, quoadusque eo peritiae deuentum est qua Maginius dulcissimarum fidium faber laudatur, una cum Stradivario, qui vim maximam vocis e fidibus elicere potuit, ac Steinerio, Bergontio aliisque non caduca umquam gloria illustratis.

Per organi caput modorum vestigia ad fines totidem lineolis primum distinguebantur, quas hodierna testudo atque cithara adhuc habent; at brevi ludentium sapientia id inutile effectum est, quinimo plectri via solutior liberisque facta; serius autem alia quoque, sed minoris pretii innovata a ludentibus illis eximiis artificibus saeculo XVIII obortis, ut Tartinius, qui plectrum iterum produxit, quem Lullius contra contraxerat, ut discipulorum imperitiae serviret.

Itali enim plerumque musices magistri extiterunt qui fidibus ludere scirent; haud mirum itaque si eorum seriem satis longam enumeramus fidibus ludentium; satis sit quaedam nomina commemorare. Iam a saec. XVII Blasius Marini, Carolus Farina, Tarquinius Merula, Ioannes Fontana, Ioannes Bassani, Archangelus Corelli, Ioannes Vitali, Iosephus Torelli, Antonius Veracini, Antonius Vivaldi multa de re poemata, eaque sive in aulis, sive in theatro agenda scripsere.

Sequenti saeculo XVIII advenere Babbius Cesenas, Brunettius Pisanus, Castruccius Romanus, Fiorillo Neapolitanus, Geminianus Luccensis, Giardinus ex Augusta Taurinorum, Locatellius Bergomensis, Mestrinus Mediolanensis, Campagnolius Bononiensis, Rolla Pavensis, Tartinius ille denique summus Tauriniensium

decus et gloria: qui omnes pariter, praeter summam ludendi peritiam, scriptis quoque musices carminibus eximiam laudem retulere, tum suavitate, tum dulcedine, qua commoti suas paginas edidere.

Recentissimo tempore Viotti e magistro inita nova sunt, qui discipulum habuit illum numquam victum, vel superatum fidium lusorem, Nicolaum Paganinum, cuius memoriam nulla aetas delebit. Hodie vero laus haec quoque ab Italis exsulavit, ita ut nomina hac arte maxime illustrata Ioachim sint, vel Sarasate, aut Wilhelmi, aut Kubelik, vel Thomson.... passim aliena.

★

Quo ex tempore autem musices dramata agi coepta sunt, brevi accedit ut inter organa ad concinentium voces obsecundandas collecta primum locum fides assequerentur. Ante fides citharae, et barbiti, et testudines advocabantur; at, fidibus recte exstructis, musices magistri ad eas statim confugere. Primum vero, certis tantum in dramatum locis, certa organa a scriptoribus designabantur, mox contra, auctore Monteverdio, organorum omnis pars arbitrio moderantis magistri non amplius relicta est, sed ab auctore scripto constituta, ut iuxta varios casus, qui in scena agerentur, iuxta varias concinentium voces, sonitum quoque natura et vis apte modulata consentirent. Itaque factum est ut paullatim, testudine atque cithara sublata, fides earum in locum plerumque subvenerint, eaque non una tantum specie, sed varia magnitudine fabrefactae, donec quae nunc vocatur « tetraisticum plectrum » nucleus et centrum musices nostris in theatris constituerit.

Qua de causa tamen vox fidium prae certebris clara insonet atque pura, explanare breviter iuxta tradita ab Helmholtz, physices doctissimo viro, documenta contendemus. Lex est ut sonitus purus atque robustus diffundatur, ut simplici voci aliae simul consonent, quae « harmonicae » dicuntur. Has voces fistulae ad rem exstructae disperguntur, metiuntur, atque in duplum, vel in triplum, vel in quadruplum vibrare super simplici voce noseuntur: voces huiusmodi « harmonici » compellantur.

At qui primi in divisione sonitum designantur, consonare passim inter se exaudiuntur suaviter, postremi contra dissonare aspere: quo itaque ex primis vocibus magis ditescit organum, eo suavius concinit; ex secundis contra aspera voce resonat. Tibiae vox pauperrima uti est huiusmodi vocum, suavissima auditur; at facile inde taedium parit; humana vox huiusmodi « harmonicae » multis vibrat; at fides prae certebris organis hac copia possunt, et ad sextam, ad decimam usque musicam notam variis harmonicae canent. Maxime varia itaque fidium musicæ, quae summa ex suavitate, ad asperam atque robustam vim ascendit, quam si probe peritus fidium lusor edere plectro calluerit, tunc summam voluptatem eius ex arte audientes concipient.

Qui vitreas vel testaceas, vel aeneas fides fabrefacere conati sunt, operam perdidisse se brevi ac facile viderunt; idemque contigit « fidibus quadratis » Savart a doctore constructis: ita plane ut iterum inde arguerint sapientes in liberalium

artium negotiis aliquid semper latere aut occurrere ignotum et obscurum, quod nulla investigatio arripit, quod satis experientia invatur, maxime vero flamme quodam atque intuitu, ut Amatis fabris contigit, assequendum manet.

A. COSTAGGINI.

DE BASILICA « S. MARIAE ANTIQUAE »

AD RADICES PALATII
INTEGRE DETECTA.

FELIX illa immutatio, qua paullatim orbis Romanus, idolorum servituti adductus, in ditionem Crucis redactus est, multos graecorum romanorumque mores christiana nova doctrina induit, multaque, etsi intacta viderentur servi, novo afflante spiritu innovata intimius neptibus tradidit. Qua de causa aedificia quoque non pauca diis fallaciebus sacrata, vel ubi tot per saecula effraena maiorum licentia debacchata fuerat, in cultum Dei veri transierunt, amissisque perditae religionis pompis, novos ritus suavissimos celebrari, nova thura suos intra parietes comburi conspexere.

Hac mente profecto aula aedis imperatoria in Palatini collis radicibus, prope forum, delecta videtur ubi Sanctae Mariae templum surgeret, quod deinceps, aetate recentiore, a Sancta Maria Antiqua dictum est. Ea modo non revocem quae iam satis fuse de exploratis novissime insignis templi reliquiis in fasciculo *Vocis Urbis* tertio, qui quarto nostri operis anno palam est editus, recolui. Ad rem redeo tamen duobus de causis, quarum altera connexio quaedam cum argumento de Priscillae coemeterio quod in superiore numero attigi, altera ipsum monumenti pretium, cuius etsi multa, vix ac in lucem redit animadverterimus, hodie tamen, cum omnino restitutus visitantibus appareat, gravioris esse ponderis magis magisque deprehenditur.

Et profecto id conjectabunt lectores vix ac inspicerint formas et figuræ loci, sole expressas quas subiicimus (1). Vestae atque Iuturnae numinibus Virgo Deipara illibata in aris sufficitur: fabulosa illa, quae mediae aetatis ferrei scriptores referunt de Silvestro Pontifice draconem ibi necante, ignem Vestae sacrum serpentemque cultui eius proprium manifeste satis revocant. Inde locus « infernus » dictus, templete nomen datum Sanctae Mariae de Inferno; quod cum videretur deinceps parum conveniens dulcissimae Virginis, immutatum est in Sanctae Mariae Liberatrixis (a poenis inferni) (2).

Hulsen doctor (3) locum templi bibliothecam aedis Augusto Octaviano sacrae esse dixit, cuius ad latus aulae templum ferme ipsum patet. Narthecis, atriique, vel ipsius basilicae

(1) Eae quoque, ut de Priscillae coemeterio, ab editrice societate Desclée-Lefebvre libenter *Voci Urbis* oblatae sunt, ex opere depromptæ, cui titulus: *Le forum Romain et le Palatin d'après les dernières découvertes*. Quin etiam cum ipsis operis a clarissimo viro Horatio Marucchi descripti, ac proxime vulgandi, paginas quae argumentum nostrum respiciunt legere in formis nobis concessum sit, duplum humanissimo offerenti gratiam debemus et publice referimus.

(2) Cfr. *Mirabilia Urbis Romae*; et etiam *De Rossi, Bulletino di Archeologia Cristiana*, an. MDCCCLXXXV, pag. 148.

(3) Cfr. *Mittheilungen des Archeol. Instit.*, an. MDCCCLII, n. 1.



Sacellum Vestae ad radices Palatii, ultra quod, sub Ecclesia S. Mariae Liberatricis, (quae, nondum diruta in figura redditur) basilicae S. Mariae Antiquae reliquiae repertae sunt,

formam, parietalesque picturas alias satis enarrata heic non numeramus; ceterum in forma quam subiicimus satis eminent arcus sive porta, unde e vestibulo domi Caii Caesaris Caligulae aditus in basilicam erat, primumque in atrium, quo in medio impluvii os quadratum hiat adhuc. Parietes atrii pietas undique historias retulisse diximus, quas tamen tempus adeo corrupit, ut vix aliquot vultus intueri hodie liceat. Contra portam muri reliquiae supersunt, quae atrium a narthece basilicae dividunt. Per narthecem templum ingredimur, tribus distinctum navibus, quas columnae, eaeque lectissimae, distinguunt. Parietes templi absidisque omnino picturis et ipsae decoratae apparent, gesta multa tum veteris tum novi testamenti effingentes: maxime autem insignes quae in abside atque in pariete ei superposito conspicuntur. Iesus in abside est, Evangelii librum sustinens, cuius ad latus hinc et inde variae Pontificum eminent effigies, sed Pauli I atque Martini I nomina una supersunt. Altius vero in pariete Christus dominatur orbem, Crucis affixus, angelis circumdatus; eius ad pedes mulierum virorumque turbae genibus flexis consistunt, iuxta prophetiam: «Ego si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum» (1). Virginis imago, uti pariter animadvertisimus, in dextero pariete repraesentatur, at dedicatoria inscriptio in utroque absidis latere divisa est, cuius haec manent verba: SANCTAE DEI GENITRICI SEMPERQUE VIRGINI MARIAE, quae forte saeculo VIII oriente depicta est, cum Ioannes Pontifex VII templi dedicationem celebravit. Et profecto, in Einseldensi itinerario, quod est sub eiusdem saeculi exitu redatum, basilica Sanctae Mariae Antiquae prope forum inscribitur. Atqui templi titulum certo certius evincit inscriptio in adiacenti oratorio

inventa, de Theodoto illo, « primo dispensatorum, qui oratorium ipsum dicavit SANCTAE DEI GENITRICIS VIRGO MARIA QUAE APPELLATUR ANTIQUA, cuius effigies repraesentatur offerentis oratorii exemplar Deiparae. Ei accedit altera inscriptio, quae nomen exhibet Ioannis Pontificis, quem tradit Liber Pontificalis decorasse basilicam « Sanctae Dei Genitricis quae Antiqua vocatur » (1).

In ipso oratorio parietales picturae exhibit Sanctam Iulitham coram iudice, Sanctum Cyrum in vinculis degentem, fustigationem eiusdem, Saneto Cyro linguam recisam, Sancti Cyrus et Iulitha in compedibus, aliaque utriusque Christianae fidei confessoris tormenta, eorumque mortem. In sacello vero, seu oratorio, quod opponitur, similes picturae effingunt beatos Cosmam, Damianum, Stephanum et Abbacyrum. Huic loco proximam invenerunt christianam inscriptionem anno DCCII sculptam, unde eruitur iamdiu coepisse condi ibi cadera.

Quod si quis hisce fultus argumentis quo tempore aula imperialis sedes in templum Christianum commutata sit requirat, rem evenisse putem quarto saeculo occidente, quo tempore tandem Theodosius imperator idolorum cultum sustulit. Non enim alias fieri potuit locum Castoris et Pollucis et Vestae et Iuturnae aedibus tam proximum, ipsa in imperiali domo, in templum esse immutatum. Primum inde templum hoc censemus Deiparae in urbe sacramum; Liberiana enim Basilica saeculo V a. a. Pontifice erecta est.

Post Ioannem VII, novi Pontifices Zacharias, Paulus I, Adrianus I pluries templum refecere; serius vero Leo IV, ratus forte, ex delabentibus iam undique aedium imperialium ruinis, multa detimenta subiecto templo imminere, novam erexit in foro ecclesiam, Sanctae Franciae Romanae nunc dicatam, quae Sancta Maria Nova nuncupata est, quo « diaconatus » titulum transtulit. Vetus ecclesia, ruinis paullatim diruta, ad saeculum tamen X usque patuit; cum, post Normanorum incursionem, conditum super novum templum est, cui titulus Sanctae Mariae Liberatricis, ob veteris memoriam aetatis mansit.

ROMANUS.

DE SYMBOLIS

QUAE DEIPARAM RESPICIUNT.

In superiore numero polliciti sumus aliquid de symbolis nos fore dicturos, quibus Beata Dei Mater, Virgo Maria, vel die-

bus nostris, iam ab inde uti fuit, solet ostendi. Promisso poenit, quia haud parvi nos taedet laboris, dum ad fidem praestandum suavissimum provocat argumentum. Hinc eodem in opere ad idem exhibendum trahimur, quod ne exhibeamus amplitudo ipsa praecipit; non enim licet phaselo exiguo indefectibilis Oceani fluctus tentare, neque


... *ceratis ope Dedalaea*
pennis illa quaerere, quae robustissimae aquilae contingere tot a saeculis minime potuerunt.

At quoniam redeunte solemnitate urgemur, urgemur promissis,

nam semel emissum volat irrevocabile verbum, in ea conabimur, quae perficere desperamus, sitque voluntatis bonae excusatio iis, quibus deficiunt vires, non animi, ingenium certe non pietas, nec desiderium.

Fontes unde symbola hauriuntur praecipua, in sacris, et a sacris libris quaerenda sunt. Nos iam ista in limine primo elueburationum harum notavimus; unum non diximus quod nunc praxi, experientiaque didicimus, et candide contemur, id est, eo frequentiora symbola in sacris libris haberi, quo sanctiores sunt illi qui huiusmodi figuris praenunciantur. Hinc et sanctissimus Dei Filius, utpote quia sanctissimus, ubique reperitur in scripturis divinis; caput enim et summa rerum omnium est, principium et finis, alpha et omega. Post, duo certatim succedunt quasi luminaria omnium temporum, Beatissima Deipara, et Christi Ecclesia; illa quia Mater, haec quia Sponsa, utraque quia vinculum, catena, nexus, (simile dicam) compescere aureus et adamantinus, quo Creator creaturae alligatur. Deus humano generi vincitur, terrenis caelestia, aeterna mortalibus copulantur. Atque haec eo processere, ut symbola singula, quae convenire possunt Ecclesiae, Beatissimae Virgini opportunissime convenient, et ea quae Virgini Matri respondent, pulcherrime pariter respondere possint Ecclesiae. At interdum quae Christo evidenter propria sunt symbola, ea Sanctissimae Genitrici Eius perbelle quadrant, praesertim si requiras ea, quae iucunditatis, et benignitatis, et misericordiae plurimum proferant. Exemplum dabo. De se in *Apocalypsi* Christus fatetur: «Ego Iesus... sum radix et genus David, stella splendida et matutina» (1). De

(1) *Apoc.*, c. XXII, v. 16.



Basilicae S. Mariae Antiquae atrium.

(1) *Ioan.*, XII, 32.

(2) Cfr. *Lib. Pont.* (edit. Duchesne), I, 385.

Beata Virgine Balaam, agitante et cogente prophetam Spiritu Domini: « Orietur stella ex David, et consurget virga de Israel » (1). Stella igitur Virgo, Virga autem Christus, de quo Psalmista: « Virgam virtutis tuae emittet Dominus ex Sion ». At virga pariter Virgo, de qua Isaias: « Egredietur virga de radice Iesse, et flos de radice eius ascendet, et requiescat super eum Spiritus Domini » (2). Flos autem virgae huius unigenitus Iesus, qui et « flos campi » in sacris paginis praedicatur. Sed et radix David, et genus David, et radix Iesse Mater eadem, qua una tantum dici potest radix et genus David Christus; hac enim una inter Filios David censetur, hac enim una dicitur in Evangelio: « Mariae, de qua natus est Iesus, qui vocatur Christus » (3). Lux est Christus, qui de se non semel dixit: « Ego sum lux mundi ». « Ego lux in mundum veni » (4). Et iterum per Psalmistam: « Lucerna pedibus meis Verbum tuum » (5). Idque recte, ait sanctus Bernardinus Senensis (in *Serm. Feriae V in Coena Domini*): nam sicut lucerna habet testam, bombycem, et oleum, ex quibus lumen ardens resplendet, sic ex Christi corpore, anima et divinitate, Christus in vita sua ad illuminandum et inflammandum fulgebat. At de Beata Matre dicit pariter Deus in psalmis: « Paravi lucernam Christo meo » (6); cuius lux ad redendum effulgit, quia in sanctissima Genitrix sua paratam adinvenit lucernam, in qua fulgeret. « Luminare maius » est Christus; nemo enim Christum aequabit; « luminare minus » beata Mater est; caro utriusque communis.

Nee aliter de beata Virgine sentit Ecclesia, quae in hymno Angelorum hanc invocat: « Virgo Dux pacis, Genitrixque lucis ». Nec aliter primis in saeculis eam Christiani invocabant, prout est in epigrammate Peitorii: « Te precor, o Mater, lux mortuorum ». Nec minor est inter Ecclesiam et Virginem sanctissimam comparatio.

(1) *Num. XXIV*, v. 17.

(2) *Isaias*, c. XI, 1.

(3) *MATTH.*, c. I, 16.

(4) *Ioan.*, c. VIII, 12; XII, 46.

(5) *Psal.* 118.

(6) *Psal.* 131.

Utraque « Arca Noe » dicitur; ista quia originalis peccati diluvio enata insubmergibilis; illa quia quot in illa erant animae, servatae sunt a morte, solaque mundo naufragio salutis spes existat; nam « nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto non potest introire in regnum Dei », et « qui non credit iam iudicatus est »; si enim « fides sine operibus mortua est », ecquid erunt opera ipsa sine fide?... Age nunc; in *Apocalypsi* habetur « mulier amicta sole, et luna sub pedibus eius, et in capite eius corona stellarum duodecim ».

Sacri scriptores haec de Ecclesia explicant; sed non minus pulchre de Maria exponunt, quae omnes haereses sola intereremt in universo mundo, et praesertim Mahumetanam, quae stemma sibi in luna compositum.

Sed ista indicasse sufficiat. Quot autem symbola sint, quibus Maria significatur, haud facile enumerabo multitudine obrutus. Attamen incipiam, felicioribus, qui spatio ampliori utantur, quae praetereo, memoranda relinquens.

Iamque primae principesque illae sunt, quae ex populo Dei emicerunt mulieres, quorum virtutibus, quasi totidem scintillantibus astris paginae sanctae coruscant. Esther in primis, Iudith, Debora, Ioel. Erit Rachel, quam « Agna Domini » interpretaberis, figura illius, quae Agnum Domini peperit; erit Sarai, Augusta et Princeps femina, initium novi populi, initium illius Isaac, in quo benedicendae erant omnes gentes. Ipsam reddet ad unguem Arca testamenti, ex incorruptibili ligno et auro purissimo confecta, coram qua perpetuum candelabrum septem faculis ardens, coram qua velum impenetrabile, sanctuarium sanctuariorum (*Kodesch Kodeshim*); in qua Verbum Domini scriptum, quam si quis contingeret, morte immissa divinitus plectebatur; quae in mediis castris custodita a populo custodientem custodiebat; quae Ierusalem gloria et munimen exstabat; cuius

cultus et obsequium a reliquis populis Abrahami filios, Israeliticum genus discernebat. Videsne, lector, quanta convenient, atque conspirent? Quod si libros Sapientiae revolvas, si *Canticum Canticorum*, invenies quae sculptores pictores que sexcentos defatigavere, et nostra tempora pulcherrimis implevere monumentis. Latet enim haec Virgo in cedro Libani, in decore Carmeli et Saaron, in horto concluso, in fonte signato, in rosa ierichuntina, in thesauro balsami, in turri davida, in cypressina sylva quae monti Sion arcique Davidicae imponebatur, in palma quae exaltabatur in Cades, in oliva quae late ramis spatibatur in campus, in platano quae obumbrabat fontes aquarum, in piscina quae paralyticos sanabat, in porta templi quae speciosa



Basilicae S. Mariae Antiquae absis.

dicebatur, in columna ignis, in columna nubis, in lauro odoro et semper virenti, in sole, in luna, in aurora, in iride. Ipsa celebratur quasi iustitiae speculum, quasi caeli ianua, quasi vas insigne plenum odoramentorum, a myrrha ad casiam et cinnamomum. Ipsa « Mater pulchrae dilectionis », ipsa « Spes », ipsa denique quidquid magnificentius potest haberi ab aurea domo et solio regis ad ipsum templum, quod erexerat Salomon; ipsa quidquid poterat esse aspectu iucundius, a piscinis Hesbon ad viridaria magni regis. Ponent columbam suavissime oculis intuentem, ut indicent eius innocentiam simul et caritatem; ponent columbam ramuscum oleae rostro ferentem, ut ostendant hanc esse conciliatricem pacis inter peccatores et Deum; ponent columbam iuxta rivulum aquarum, ut significant invitarem homines ut hauriant et satientur de fontibus Salvatoris. Aeternus ero singula sequi si volero, enumerans; quid si causas uniuscuiusque symboli enucleabo? Qui ergo nomenclator esse non possum, quomodo fiam insuper explanator? Indicabo insignem librum Romae ab eminentissimo S. R. E. Cardinali Vives y Tuto recens editum, cui titulus *Dictionarium Marianum*, eosque ad illum delego, qui cupiunt sublimia omnia et iucunda experiri.

Mihi liceat nunc ferme defesso aliquantis per a labore symbolorum requiescere; quibus in vestigandis siquid praeterii, siquid non ea dignitate libavi, prout argumentosum opus ferebat, pareant infirmitati meae lectores optima quidem volenti, sed vix tolerabilia assequenti.

SENIOR.



Basilicae S. Mariae Antiquae ala media.

BESTIOLAE CANTANTES IN IAPONIA.

OMNIBUS temporibus ac locis homines suavissimo avium cantu esse delectatos accipimus; sed Iaponiae tantum incolae, qui vel minima naturae maxime diligunt, quasdam bestiolas suavi praeditas voce permagni habere atque omni prosequi sollicitudine non dedit. Eorum in haec parva animalia studium ex antiquissimis usque temporibus colligitur; sed centum circiter abhinc annis illa digna sunt habita, quae non levius momenti commercium constituerent. Nostra autem aetate eo perventum est, ut in triginta sex foris Tokii

in urbe praestantissima harum bestiolarum habeatur mercatus: ibi enim fere nulla reperitur domus, cuius fenestrae, perystilium, pergula Maio labente, aut ineunte mense Iunio, minusculis non exornentur caveis, ex quibus musicarum, ut ita dicam, bestiolarum mirificus proficisciit concentus, ita ut levibus ac suavibus sibilis, sonitibus tremulis, aut acutis, iisdemque liquidissimis, aer tota ferme nocte undique resonet. Quare aestivis diebus sub vesperam, quum canere incipiunt bestiolae, Tokii cives in pergulis, vel in perystiliis considunt, vel ex fenestrarum faciem exserunt, ut animum diurnis curis fatigatum tenui reficiant musica, quae sensu quodam campestris pacis eos afficer videatur.

Nono kalendas Iunias singulis annis, vespera, quum Tokii cives ferias ad templum *Mita* numinis celebrant, bestiolarum cantantium incipit haberi mercatus. Ex ligneis casulis seu tabernis passim exstructis exsiles pendent caveolae, ubi exigui servantur cantores, qui multiplici et continuo vocum concentu adstantes allicere atque ad eos emendos invitare videntur. Innumeræ ac diversissimæ inter se caveae, omnesque arte exquisita sunt contextæ; aliae enim domus vel templi exhibent formam, aliae currus, navis, turris, cornu, aut cuius tibi lubet rei: sunt etiam elegantiores caveæ,

25]

FABULAE SELECTAE FONTANII
A IOANNE BAPT. GIRAUD LATINE REDDITAE
PASSIM RETRACTATAE A FRANCISCO XAV. REUSS.

CI. — FORTUNA IMMERITO CULPATA.

*Mercator, maria emensus, congesserat aurum;
Nam Fortuna viro faverat assidua.
Non scopulis, non vorticibus, non solverat Euris
Ille, nec iratis ulla tributa Notis.
Ex aliis dum Neptunus sua iura reposcit,
Hunc sinit, intacta merce, redire domum.
Ipsi nil socius, nil surripit institor; omnes
Exornat servos intemerata fides.
Noster et egregie sua sacchara thuraque vendit,
Et piper et testas, nobile Seris opus.
At cui Pactolus conferserat aurifer arcam,
Huic sensus tumidos area referta dedit.
Aeris et argenti spretor, non ille monetam
Tangit, quae pretio sit minor aureolo.
Aurato vehitur curru; sociisque frequentes
Adsunt venanti, turbaque multa canum;
Lautius ac coenans, sibi vix ientare videtur.
« Vis haec unde tibi — quaerit amicus — opum?
Unde nitens haec mensa dies in quoslibet anni?
— « Has — ait alter — opes ars mea sola dedit.
Ars mea me docuit pelagi tentare pericla
Impune, et gazas amplificare meas.»
Ergo pellectus lucri dulcedine, lucra,
Parta prius, rursum credidit Oceano.
At concepta virum fiducia denique fallit;
Fallit, namque parum caverat ipse sibi.
Una ratis, male cuius erat sentina refecta,
Undarum pulsu fracta, repente perit.
Altera, cui deerant, quies se defendaret, arma,
Praedonum facilis grataque praeda fuit.
Tertia, quum portum tetigisset, inutilis haesit;
Non ibi civis erat, non peregrinus enax.
Coepit tunc hominis decrescere fastus, opumque
Relliquias furax tollit¹ ubique manus.
Aemulus heu! Croesi, quem reverat aurea rheda,
Lectas cui dederat splendida mensa dapes;
Urbs cui marmoreas aedes, cui rus dabant hortos,
Omnibus exutus, pauper ut Irus eget.*

quibus parvus mus, vel avis, vel vespertilio ex ligno sculptus ornamento est. Harum varium est pretium pro varietate operis atque difficultatibus.

Incredibile dictu est quot quantisque curias bestiolas mercatores prosequantur, non solum quo citius, quam natura ferat, ex ovis arte fotis in lucem prodeant, sed etiam, quum adoleverint, ut musica, si ita loqui fas est, instituantur disciplina: tibiis enim, seu fistulis ex ligno, cui nomen *bambù*, confectis, eas summa diligentia ad cantum excitant, quem quodam modo ducent ac moderantur, ut liquidior atque incundior ex tenui gutture fundatur. Ex his, quae voce, forma, et colore in innumera constituantur genera, corporis magnitudine et singulari quadam virtute bestiolam nota dignam existimamus, cui nomen *Kutsuwa-mushi*, siquidem eius sonitus non ex gutture, sed ex aliis inter se confricandis proficisciit atque hinnitui equi, ut aiunt, est fere persimilis. Cantus autem suavitate commendanda videtur quam dicunt bestiolam *Kirigirisu*, locustis similem nostrarum regionum: ex his tamen peregrinis cantoribus princeps iure merito *Suzu-mushi* habetur, cuius nomen significat « parvum tintinnabulum », quod eius vox cum acuto eodemque liquidissimo sonitu illius aenei instrumenti plane perfecteque comparetur.

Notandum harum bestiolarum mares tantummodo vocis suavitate praeditos esse, quae coniunctionis appetitu procreandi gratia una cum vita suapte natura amittitur: itaque a feminis prohibeantur omnino necesse est, si diutius servari velint. Parvis vescuntur cucumis fragmentis, quae saepe saepius sunt instauranda, quo suaviora ipsis praebeantur.

HERSILUS.

SERPENTES

ET VENENA SERPENTIUM (1).

In hisce eram, cum senior quidam, mihi a dextris tunc forte comes, et ipse ferme eadem submisso mihi ad aures edidit. Suscepimus inter nos inde eloquium, et amico officio productum diu; nam simul exivimus. E serpentibus veneno pollutibus, unice apud nos viperæ et aspis. Plures autem sunt viperarum species, colore potius quam genere diversæ. Quippe nonnullis est subfulvus color, nigris interdum stellatus maenlis, nonnullis ferme caeruleus, nonnullis velutij cinereus, aliquid simile conchyliis, gemmis nempe, quas « uniones » dicunt; atrae tamen plus minus-

(1) Cfr. num. sup.

— « Qui tu factus inops? » a paupere quaerit amicus.
— « Sors — sic ille gemit — fecit iniqua malum. »
— « Macte animo — solator ait — sapientior esto;
Aere racans, sana ne quoque mente rases. »
Num sapuit vere? Nil constat; constat id unum,
In Sortem reiici damna solere tua.
Quod bene successit, tribuis tibi; quod male, Sorti.
Sors peccavit, ubi tu male cautus eras.

CII. — FELIS, MUSTELA ET CUNICULUS.

Primo mane diem renovante, cuniculus olim
Ima e sede sua iunior exierat.
Hanc properat mustela rapax invadere sedem,
Hucque suos, raptrix callida, ferre lares.
Res facilis, quod abest roseam qui rite salutat
Auroram, dominus, rore thymoque satur.
Auritus ientat, dein huc discurrevit et illuc,
Denique subsiliens ad sua tecta reddit.
Ut videt e foribus mustelam prodere rostrum,
Adstupet in primis, mox ita voce fremit:
— « Di! quibus hospitium sacrum, succurrите; tuque
Ilicet e nostris, advena, cede focus.
Ultro ni facias, facies invita: sodales
Immittam mures, agmina densa, tibi. »
Altera respondet, dum nares inflat acutas:
— « Qui rem praeripuit, rem quoque iure tenet.
Bella minaris? At o bellandi ludicra causa
Limina, reptanti vix adeunda pedi!
Quae si rege forent etiam dignissima, quae so,
Abs te perpetuo cur habitata velis?
Dic, ea cur teneat Titius Caiusve perenni
Iure, nec Ascanio, vel mihi ius sit idem. »
Obiicit antiquum sacramque cuniculus usum:
— « Lex me fecit — ait — liminis huius herum.
Heic proarus vixit Calchas, avus inde Camillus,
Tum pater Aeneas, nunc et Iulus ego. »
Haeredis mihi sunt, latronis sunt tibi iura. »
Cui mustela: — « Nihil me tua verba movent.
Lis tamen haec — subdit — Rapillardus erat.
Insignis feles hic Rapillardus erat.
Urbes pertaesus, cultor vivebat agrorum;
Os illi placidum iudicis emeriti;
Ornabat pingue togæ mollis et ampla; sagaci
Ex oculo poteras arguere ingenium.

Hic ergo legitur iudex, et uterque togatum,
Causam quisque suam quo tueatur, adit.
— « Huc — ait ille — rogo, proprius veniatis, amici;
Utor (quod senui) iam minus aure bona.
Accedunt igitur securi, queis pia iudex
Exhibit ora, sibi donec adesse videt.
Ungues tum subito simul hoc infert, simul illuc;
Litibus et finem, pransus utrumque, facit.
Regule, te mea dicta monent, a rege potenti
Qui tua componi iurgia forte velis (1).

CIII. — SERPENTIS CAPUT ET CAUDA.

Partes anguis habet geminas, mortalibus aequæ
Infestas: caudam (2) scilicet atque caput.
Binaque membra nigris sunt cara sororibus, aeri
Rumpere quae nostri debile stamen amant.
Inter utrumque olim membrum lis acrior orta est.
Dum vult cauda prior, vult prius ire caput,
Hactenus incessu solitum prævertere caudam.
Caudam posthabitam sic fremuisse ferunt:
— « Num caput hoc tumidum me censem velle per agros
Usque trahi miseram, pro ducis arbitrio?
Haud ita; nec patiar despectu pedissequa dici,
Edita quae capitis sum genuina soror.
Par mihi sanguis inest, par virtus, parque veneni
Copia; deferri par mihi debet honos.
Alternis igitur vicibus mihi, dique deaeque,
Hoc date: rectricem corporis esse mei.
Me duce, nulla dehinc orietur causa querendi. »
Heu! facilem sensit cauda proterva Iovem.
Dum faret, interdum succenset Iupiter; aures
O utinam claudat, si quis inepta petit!
Cauda præxit, quæ, sole licet perfusa nitenti,
Ignotum, tenebris obsita, carpit iter.
Quid mirum, caecam si saxa rubique cruentant;
Si calcant homines quadrupedesque caput;
Sique perit serpens properato denique leto?
Vae populis, amens rex ubi sceptræ tenet!

(1) Ne quis putet, Fontanium praesago calamo res Macochianas attigisse.
(2) Fontanii, qui pro iure fabulatoribus concessa pecudes inducit loquentes, potuit, eodem iure, viperarum caudæ illud immittere venenum, quod in cauda scorpionum natura depositum.

(Ad proximum numerum).

rum mares tantum
itos esse, quae con-
di gratia una cum
itaque a feminis
se est, si diutius
tetur eucumis frag-
sunt instauranda,
tur.

HERSILUS.

ES

NTIUM (1).

quidam, mihi a
ose ferme eadem
Suscepsum inter
fficio productum
erpetibus veneno
era et aspis. Plu-
es, colore potius
nonnullis est sub-
cellatus maeulis,
nullis veluti cine-
gemmis nempe,
men plus minus-

ogatum,
r, adit.
niatis, amici;
re bona.
dex
det.
, simul illuc;
ue, facit.
e potenti
(1).

ET CAUDA.

libus aequ
e caput.
oribus, aevi
n amant.
erior orta est,
ire caput,
e caudam.
ferunt:

et velle per agros
arbitrio?

sequa dici,

or.

parque veneni

os.

aeque,

nei.

querendi».

a Iovem.

ter; aures

petit!

a nitenti,

cruentant;

e caput;

leto?

a tenet!

o calamo res Ma-

s concessa pecudes

rarum caudae illud

ionum natura de-

ve maeulae supra dorsum recurrunt; aspis vero quasi ferreo colore et instar politi chalybis gaudet, et is plerumque habetur, quem surdum dicunt; huic proximus aureus aspis est catenulam auream probe imitans; prior non squamis sed quasi quadratis lamnis vestitur, alter aureis, ut ita dicam, squamis; at hunc villici « Caeciliam » nuncupant, quia caecum praedicant, et vix semel in vita videndum; adeo rarus est. Quem ille anguiculor habebat, et quadam ambitione ostendebat et ostentabat gloriosus, viperam Australiae nominabat, fassus tamen hunc Interammatibus in montibus invenisse. Aspidum fertur insanabile vulnus; fulmineo enim veneno coit sanguis, quo inerte morimur. Viperinis venenis non eadem vis, etsi plena discriminis; siquidem si ad necandum cuniculum duo chilogrammata pondo aequantem necessaria sunt quatuor viperini toxicai milligrammata; ad examinandum hominem, qui obiter octoginta circiter chilogrammata pondo aequat, centum et sexaginta milligrammata necessaria haberentur, quae dens vipereus inserere non potest in vulnere; nam exiguis nimis est sulcus per quem effluit. At plura sunt ex adiunctis, quae lethalem efficere morsum possunt; certe morbum conflabunt, et sanguinem tetterime inficiant. Initio dolor asperrimus, statim torpor, inde somnus, inertia, rigor, deliquium; postremo exitus. Serpentes qui sunt in India, in Antillis, in Sudan pessime uncant. Nam ubi quis torpescere caepit, aegre respirat, tumet lingua, riget membris, et lethargo opprimitur brevi hora moriturus. Dicitur apud Indos serpens, quem *Cobra-cappello* nominant, si publicis elenchis fides, quotannis viginti hominum millia circiter occidere. Plura mulierculae rusticæ rhizotomumena praedicant adversus venena serpentium. Cauterio, ferro, igne, abscissione, perfusione pharmaci, cui nomen « ammoniaca » curabantur olim; incerta medela, et saepe inutilis si sera, si tempus intercessisset. At nuper insignis Gallorum medicus Calmette in eam mentem venit, qua ratione Pasteuriana uteretur, ut vipersa aut aspide percussis mederetur. Extracto igitur veneno a serpentibus hisce mortiferis, – et quidem *cobra* illa ceteris praestat, – stillulum quam minimam inserit, exempli gratia, equo; inde vim stillulae auget, sic tertio, quarto, decimo. Hoc fit ut non modo equus ille prorsus impune morderi a serpente quovis possit, sed « serum » eius, prout in diphtheritis morbo laborantibus, insitum homini vel animali omnem a serpente illatam pestem frangit ac dissipat. Unica in re festinatio medelae. Atqui haec incolumentis cuivis facilis esset, si, velut ad arcendas pustulas, quas variolas dicimus, eodem « sero » terque, quaterque et septies imbueremur. Hunc porro morem sequutus Calmette, etsi toxicum saepe a suis anguis, quos Insulis colit in Belgica, vulneretur, nunquam detrimenti quid excipit. Et ipse a dentibus viperinis et cobrinis virus nequissimum more extrahit, quo a serpentibus cultorem istum crotalis et nequioribus vidimus eruere. Nam ferreo forcipe caput bestiae ad collum premebat in terram, tum ringens os ferrea interposita regula, prohibebat quominus clandeatur. Post haec supposito quodam concavo vitro malas utrasque malae bestiae undique premebat, et venenum emittere cogebat vitro illo susci-

piens; nec opere desistebat, nisi omnino prius dentes aruiissent.

Pro certo haec, rataque, sartaque penitus senior ille canebat. Cetera sicuti pro diphthericis ritu habentur.

Ego libenter admittam, recordatus Pontici Mithradatis illius, qui medicatas veneno epulas metuens, sibi eavit assuescens venenis; et hac industria iis inexpugnabilis factus est. Ergone vel medendo ad antiqua redimus?

P. ALEXIS.

ANNALES.

De re Macedonica pactiones — Mauritanum discrimen — Venezuelanum bellum — De Panamensi fovea novum foedus.

GOLUCHOWSKIUS comes atque Lamsdorffius de re Macedonica Vindobonae convenere ea lege praesertim, ne quid umquam immutetur, quid innovetur in reipublicae possessione, quam Turcae tenent a saeculis. At multa contra perfici novis legibus constituere in gerenda remunieipum, vel civium. Rogationes ab utroque legato probatae regibus civitatibusque totius Europæ nunciabuntur ut commune suffragium obtineant. Incertum tamen nunc quoque utrum iussibus ceterarum gentium bona fide Turcae obsequantur; quin immo id facile futurum credunt, ut res diuturnam moram adhuc patiatur. Cunctationi vero novam causam addidit certe recens contentio Anglos inter Russosque exorta de navigiis bellicis Russorum quae, ultra constituta saepe iura gentium, per Pontum Euxinum tutum transitum ab Imperatore Turcarum impetrarunt. Qua de re Anglus legatus ipse quoque libellum regi obtulit eadem iura petens eamdemque pro anglis navibus facultatem; eiusque petitioni aliae quoque nationes pro suis navibus accessere idem quae siturae. Sed frustra; rem enim denegare Turcae conantur asserentes naviculas illas, quibus aditus datus est, nullis armis instructas fretum pertransiisse.

★

Mauritania res in incerto est. Imperatoris enim calliditas id fecit ut frater eius Mohammedius vinculis non modo solitus fuerit, sed ducem exercitus esse contra perduelles voluit. Atqui eius restitutionem in integrum ita diuidicant Mauritanii, quasi innovatae regiae mentis indicium, atque derelictos Europaeorum mores, et restituta vetera falsi prophetae iura in omne imperium. Quapropter quae copiae Fez urbi obsidionem circumposuerant, a moenibus illis tandem recessere, rebusque in pacem inclinatis, mens quoque nostrarum gentium a bellicis consiliis detorta est, nullumque amplius loricatum navigium ad Mauritaniae litora prooperabit.

★

Castro, Venezuelanae reipublicae praeses, oblatas condiciones de contentione sua cum Europæ gentibus arbitris iudicibus proponenda,

fractus tandem minis metuque, ratas habuit. Nihilominus quoadusque res omnis arbitrorum sententia definiatur bellica gentium navigia litus Venezuelanum non derelictura videntur; eius enim oras rapidis motibus late adhuc invigilant citoque cursu obsident, atque commercia maritima omnia, navibus circumpotiti, interclusere. Quare urbes reipublicae paullatim commeatu omni prohibitae, opificia passim, carbonis deficientibus acervis extincta immotaque manent, ac simul commercia et negotia languescunt. Interea Germanici nautae accedere ad Macaraibo oppidum per maris fretum conati sunt, sed commissa utrinque ballistaria pugna depulsos sese ab audaci nisu viderunt. Interim civile bellum additur bello externo. Matos enim dux eiusque in perduellione socii, longinquas provincias ubique coacto agmine vastant, urbes congreguntur. Coro etiam urbs flagrantibus bello integrum per diem vias atque plateas vident a seditionis copis ferro et igne, frustra tamen, petitas, dum reipublicae optimates, ditioresque viri omnes vades exstant pro patria ut magnam aeris alieni congerat pecuniam, qua externarum gentium petitionibus satisfacere possit.

★

Roosevelt, Americanae septemtrionalis reipublicae praeses, rogationem de Panamensi fovea novo consilio novoque ausu perficienda suis administris obtulit, quam Hay, rerum ad exteriores summus curator, una cum Columbiensi legato concordi mente paraverat. Novo foedere ieto iura omnia, quae Gallicum sodalitum ante a Columbianis magistratibus obtinuerat, Americanis deferuntur, ipsumque ius advigilandi per freti litora ipsis conceditur. Loca autem omnia, per quae fovea excavanda et deducenda est, certo pretio Americanis locata ad annos centum. Reliquum est, ut Columbiani senatores suis suffragiis rem sanciant, quod statim futurum praedicant ac novis, quae his diebus agitantur, comitiis, novi senatores electi erunt.

POPLICOLA.

PUBLICI PER ORBEM COETUS

LEGIBUS FERENDIS.

In Austria dum contentionem municipes Vindobonae de re vectigali habent, acerrima disputatio exorta est inter Bohemos et populares oratores, qui paene manus inter se conseruere: rei occasio fuerunt nonnulla verba parum cauta a Bohemo quodam legato contra Vetterum, alterum a praeside, inlata.

In Gallia coetui municipum Bourgeois populi orator maximis suffragiis iterum praeses est confirmatus: creati simul novi senatores, quorum ii maxime adlecti sunt, qui administris reipublicae faveant.

In Germania de re agraria disceptatum, iuxta rogationes, quas Heyl eiusque socii oratores populi obtulere: rogatio a Speck oratore proposita, qua latius arbitrium de re commerciali gerenda administris relinquitur, suffragium retulit.

SCRIBA.

HORA POSTREMA.

Dum hic *Vocis Urbis* numerus prelo committitur, Aristides Leonori eques, Commentarii nostri possessor et administrator, Leoni PP. XIII fasciculum ineunte anno Ei dicatum humillime offert.

De humanissima acceptione peculiariter in proximo numero dicemus.

LIBRORUM RECENSIO

Dr. N. CALVAGNA. *Sull'accento della enclitica latina.* - Catalanisii, ex officina *Omnibus*, MDCCCCII.

Qui de latina pronuntiatione sententiam in Commentario nostro aut iam protulerunt aut forte sunt prolati, iis haud erit inopportuna lectio erudit sene opere doct. N. Calvagnae. Is quaestionem agitavit, utrum *encliticæ* «que», «ve», «ne», additae vocabulo exeunti in vocalem brevem, transferant in hanc accentum, ita ut recitandum sit *periculaque*, *templaque* et similia, producta penultima. Atque ita scilicet sentit cl. doctor contra ea quae scripsit Langenius in libro de grammaticae praeceps ad accentum spectantibus, et contra communiorum usum. Rem vero suam tuerit primum exempla adducendo hexametrorum aevi imperialis, sic exeuntium: «*regnique piorum*» - «*telaque cruenta - sanctaque altaria cernis*», et huiusmodi complurium. Quo loco verissime animadvertisit, saeculo III post Ch. n. accentum sic dominari coepisse, ut syllaba brevis, hoc ipso quod accentum recipere, produceretur, quemadmodum in his:

- *Talia quis faciat, nisi vos quos amor adegit?*
- *Hoc iacet in tumulto repetens Petronius humum.*

Nec minus id evinci affimat ex oratoriis clausulis Lactantii, Simmaci, Cassiodori, qualia haec: «Factaque narrantur» - «mensuraque praestat». Cum enim ipsi soleant ambitum concludere hac formula — | — | nec nisi perraro molossum adhibeant aut an-

tibacchium praeeunte dactylo, iure arguit Calvagna, in clausulis illis *a* debuisse pronuntiari cum accentu, id est tamquam productam. Quin etiam ipsius Ciceronis profert similes clausulas, quales: «*Tigraneque gessit*»; «*summaque virtus*», in quibus vocales illas breves *e* atque *a* producto sono censem fuisse prolatas. Vix enim credi posse putat, sedulo caventem Tullium clausulam adoniam, qua hexametri terminantur versus, id scilicet vitii eundem admisisse.

His rationibus aliquis nititur Calvagna, maxime vero grammaticorum praeceps, quorum auctoritatem nimium fortasse concedit. Idem opinatur, aetatis Tullianae pronuntiationem et sensum quantitatis, etiam prolapsae linguae saeculis, integra et immutata manuisse; quae tamen opinio contradicentes habet non paucos, eosque minime spernendos.

Vulcanus. Liber primus. Carmen ALBERTI SALVAGNI Magentini in certamine poetico Hoeufftiano magna laude ornatum. — Amstelodami apud Io. Mulierum, MDCCCCII.

Summa carminis, quam ipsis pene auctoris verbis exhibemus, haec est: — Calliope, tot iam annos moerens, quia tenero viduata marito, Pierio colle relicto, noctu Misenis oris allabatur. Moestus in umbra surgebat, innitens ad monumentum, Vergilius; quem ut adspexit Camoena, causam doloris est sciscitata. Maro autem hanc esse causam dicit, quod, extincta nunc

lampade Phoebi, atra libido foedaverit castalium fontem horreatque suaves haustus sordida gens, alibi studiis ignava retortis. Respondet Calliope, musas esse pacis et quietis amicas; contra vero, novam progeniem acerbis curis urgeri, lucri maxime fatigata cupidine; idcirco urbaniore cultum nunc homines impulisse ad calles diversos; cessisse Apollinem Vulcanum. Tum vero nuncians se panditram nova terrigenum miracula, alarum remigio secum rapit Vergilium usque Magentiam. Stupet Maro videntis actum vapore currum, quasi immanem bestiam fugientem, seque interdum condentem in antris, territusque exclamat:

*Heu quantas lacrimis urbes luctuque revolvit!
Quis deus in homines hanc pestem immisit iniquus?*

At Calliope tranquillo esse animo vatem iubet, edocetque ab origine carbonis per saecula vices, effossiones, usus; describit rationem omnem partesque singulas machinae; dein ordine narrat applicitam navibus eandem vaporis vim, et inventoris Dionysii Papinii casus, et Fultonii solertiam excogitantis torpedines.

Sequitur invocatio duplex; altera Sabaudo comiti Aloisio qui «vias italis insueta secentus, sidera devectus, gelidas enavit ad Arctos»; altera gentium dominae Romae, cui Urbi vietrici, per mille vias, quasi per venas ad vitae fontem, gentes ex orbe terrarum toto tributa mittunt.

Ignito carmine dignus Vulcanus, idemque periculosis tractantibus. Quapropter Alberto Salvagnio gratulamur, quod is incolumis per ignes incendens, multa ingenii laude fabulam texuit et Ovidiano more depinxit res latinis labiis novas ac perdifficiles. Sunt quidem in carmine CCC versuum obscuriora quaedam; sunt versus aliquot amiciores clando numini Vulcano, quam cytharae arbitrio Apollini, ut hi:

v. 44. *Argentique fames vires spiritumque ministrat.*
45. *Iam cultus homines urbanior impulit acres....*
67. *Sinistra clivi stant parte Cacuminis; inde....*
101. *Qui deus in homines hanc pestem immisit ini quis?*
120. *Indigesta strues compositi et ordine caeli.*
181. *Agreditur ceteros uncis impellere motu.*

Verum, ut ipso auctor affirmat «cessit Apollo Vulcano» et «ubi plura nitent in carmine, non ego paneci offendar maculis»; quod profecto idem sentent quicunque in hoc libro legendo ingenium potius et indicium quam paedagogi diligentiam exquirant.

Il verbo latino e la sua coniugazione. — Studio del prof. COSTANTE FORTIS. — Novocomi editio Societas Pliniana, MDCCCCIII.

Sunt qui reprehendunt quod in praeceps tradendis de latina «Nominum» declinatione ac de conjugatione «Verborum» plerique novas vias arripuerint, tritas reliquerint. Alii mediam quandam viam censem esse tenendam, qua subtilior illa ratio, seu linguae doctrina, nec omnino neglegatur, nec impunitur severius quam sustinere pueriles humeri valeant.

Litem dirimere tentavit nuper cl. doctor Constans Fortis, proposito «Verborum» latinorum duplici ordine, «debilium» et «fortium», prout eorum themata, quae vocant, aut in vocalem exeunt, aut in consonantem. Utriusque ordinis coniugations dat quatuor, assignans debilibus themata in *a*, ut *laudare*; in *e*, ut *reple-re*; in *u*, ut *exu-ē-re*; in *i*, ut *audī-re*; fortibus vero themata in consonantem, interiecta vocali; *ā*, ut *dom-ā-re*; *ē* longa, ut *mon-ē-re*; *ē* brevi, ut *mol-ē-re*; *i*, ut *aper-i-re*. — Deinde ceteras «Verborum» partes perseguuntur, praesertim quae est de formatione temporum.

Parvus liber XIV vix paginis constans allicit brevitatem ac simplicitatem sua non minus praeceps, quam alumnos. Verum «in tenui labor»; nec facile sciimus an per densum istum penitioris investigationis apparatum captui et memoriae puerorum consulatur satis. Ante discant alumni verborum παρθενυάτα memoriter; ea ubi tenuerint, utilitate non carebit proposita ratio.

PETRUS ANGELINI.

NICOLAI MACHIAVELLI SENTENTIAE.

▲ In regno temperato atque miti dirittias, quae agrorum cultu et artibus prodeunt, quam plurimum augescere perspicimus; nam quisque iis rebus ditescit, eaque adipisci querit bona, quibus tuto frui posse sibi videatur. Quo fit, ut omnes certatim privatis ac publicis commoditatibus intenti, utraque mirum in modum explicent, augeantque.

▲ Publica securitate, atque praesidio pollut commercia et agricultura; proinde princeps excitet populos, ut tranquille negotiis terraque cultui videntur; ne quis praediis reficiendis abstineat, timens sibi auferantur, neve alter commercia deserat ob nimia tributa. Idcirco hac de re laborantibus praemia parare curat sit principi, suamque urbem vel ditionem ampliorem reddere.

▲ Praedia firmiores, quam ars mercatoria, largiuntur divitias.

Latine reddidit C. DEHO.

AENIGMATA

I.

(Historicum).

Quis sibi Vergilii versus adscriperit olim
Immerito, et quinam sint reperiire stude.
Distichon est comptum. Clari celebrare Maronis
Nomen et alterius spernere disce dolum.
Egerat hunc auri laudisque effraena cupido;
Fraus est versiculis quinque relecta novis.

II.

Totum sume, riget: truncato vertice tardus
Completi iter; propere cogit abire metus.
Vocis visceribus si consona prima fugetur,
Exempla assidui mira laboris habes.
Altera tollatur; ramo congestus in alto
Dulcia saepe canit, saepius aethra secat.

M. FUSCO.

Ex sociis, qui utriusque aenigmatis interpretationem ad commentarii moderatorem miserint intra duos menses, unus, sortitus, gratis accipiet THOMAE VALLAURI opus, cui titulus:

HISTORIA CRITICA LITTERARUM LATINARUM.

Aenigmata an. V, n. XXIII proposita his respondent:

1) Apis; 2) Palus.

Ea rite soluta miserunt:

Caiet. Valenza, *Cephaludio*. — C. Tranchese S. I., *Neapolit.*
— Eug. Sosio, *Bormio*. — Ios. Iust. Grünes Sch. Piar., *Nicolsburgo*. — Alois. Battisti, *Maraula*. — Guil. Schenz, *Ratisbona*. — D. La Provost, *Briocen*. — Bibliotheca Seminarii Monregalensis. — Lad. Lud. Podobinski, *Cracovia*. — M. Vidal, *Palma in insula Maiorica*. — Fr. Honorius a Treppio, *S. Romulo ad Figulinos*. — V. Hertel, *Mendhusio*. — Aem. Gschwind Sch. Piar., *Pragae*. — Alex. P. Gest, *Lambertville*. — Am. Robert, *Marieville*. — Ios. Wabner, *Varsavia Polon.* — Ioan. Sismondo, Ant. Allaria, *Augusta Taurinorum*. — Bon. Kansen O. S. B., *Torah*. — Alois Cappelli, *Senis*. — Iac. Bertran, *Figuerialis*. — Ios. Waver C. SS. R., *Vaals*. — Ios. Walter, *Neuboraco*. — Ios. Grass, *Noverio*. — Rich. Malotta, *Starawies*. — Sortita est praemium

BIBLIOTHECA SEMINARI MONREGALENSIS,
ad quam missum est PETRI ANGELINI opus, cui titulus:

LOLLIUS

SIVE

DE PROVECTA LATINITATE.

Sponsor: IOANNES BAPTISTA CIAMPI, iurisperitus.

ROMAE — Ex officina *Pacis Phil. Cuggiani*.

LE LAUDI LATINE
IL CANTICO DEL SOLE
DI
S. FRANCESCO D'ASSISI

S. Maria degli Angeli, presso Assisi, tip. della Porziuncula, 1897

Hoc libello, praeter venustam praefatiunculam a Paulo Sabatier, viro rei longe peritissimo, conscriptam, continentur *laudes latine* cum interpretatione italica, *Canticum Solis*, et illa *Speculi perfectionis* capita, quae *Canticorum* originem exponunt, aliaque permulta. Libellum hunc Iulius Salvadori, litteris tradendis in Romano Athenaeo doctor egregius, maxima edidit cura, ac Romae apud commentarii *Vox Urbis* Administratorem venit L. 0.50, in pauperum levamen.

FIDES,
QUOD MUSICUM ORGANUM
STRADIVARIUS

Cremonensium artifex celeberrimus confecit,
Romae veneunt.

Negotium agitur apud *Vocis Urbis* administratorem Romae, via Alessandrina, 87.

VARIA

Canis medicinam faciens.

In pago pulcherrimo Mendip vici plures, et rura, in quibus pecuniosi homines et incunditate loci, et caeli temperie, et salubritate aëris affecti, praedia domosque ad rusticandum habent; habent et una cum domibus pullos, greges, villicos, colonos, quibus exercetur solum aratro, pascuntur armenta, vineta comuntur, coluntur. Hic ergo dum duo pastores lac super ignibus in cacabo calefaciunt, calamitate nescio qua ahenus aestuante intus lacte decidit, et alterum e duobus canibus, qui duos greges amice tuebantur, nimis foco proximum ebullienti aspergine super humeros collumque roravit. Misserrime eiulans dolore ille fugit; sequuta est eiulantem comes bestia. Diurnam post horam una haec ultima rediit, et nihil de illa infirma, mortuam quippe putabant, amplius notum fuit. At heri animadverterunt certis horis, qualibet die, canis qui fuerat reliquus sanus in ignota abire, postquam ore cibos, quot poterat, apprehenderit. A longe sequentes invenere canem infirmum sub arbustis iacentem, cui socius canis non modo cibos afferebat, sed lingua plagas lambebat collo humerus impositas, et sic emundabat, et refrigerabat; non enim aegrotus poterat sua lingua contingere, et mederi. Mirati sunt. Factum igitur est ut, curante cane amico et medicinam ore faciente, ille convaluerit infirmus, et una cum socio, a quo nutritus et curatus fuerat, sanus ad gregem reverterit.

Herbae semina carent risum.

Apud Arabes planta quaedam est, cui a rendering nomen. Edit haec fructus atros phaseolis similes, quos Arabes deglutiunt, non ultra tres aut quatuor. Hi ebrietatem quamdam gestinent, ridentem, laetam excitant, plenam incunditatis ad horam; inde somnum. Exempti nihil memorant, neque incommoda patiuntur. At si multa semina deglutiunt, somnus lethalis est. Venenum ergo inest, prout ranunculo scelerato, quem ex hortis omnibus exterminatum opto.

FIGURAE URBIS ROMAE

ARTE PHOTOGRAPHICA EXPRESSAE
COLLECTIONES VARIAE ET NUMERO ET PRETIO
veneunt apud comm. VOX URBIS Administratorem.

URBIS E IANICULO MONTE PROSPECTUS

(m. 1.10 X 0.24)

qui sociis commentarii VOX URBIS dono datur
venit singillatim L. 2.50
apud comm. VOX URBIS Administratorem.
SI QVIS PLURA REQUISIVERIT HUIUS PROSPECTUS EXEMPLARIA
EA MINORI ACCIPIET PRETIO.

ILIBER (vulgo "ALBUM")
praecipua Urbis referens, pulchritudine insignis atque, commentarii *Vox Urbis* moderatore iubente, expresse conflatus, apud eundem commentarii administratorem, ROMAE, VIA ALESSANDRINA, 87, ven. lib. 1.50.

tario suillae omne genus, caseum, butyrum aleces et similia. Uterque vir bonus, at uterque..., forsitan inquis lancibus utebantur. Uterque fraudem compererat, neuter tamen amicum deserere, neuter queri de re prior volebat. At salsamentarius ita se gessit. Ubi ad eum pistoris puer venit elenchum emendorum obsoniorum portans, salsamentarius elenchum ipsum, mutato rerum nomine emendarum, scripsit, misitque ad pistorem, verbis morans puerum donec ille rediret. Tunc quae missa a pistore fuerant apprehendens: — Chilogramma casei tu petis. Ecce impono huic lanci chilogramma panis, a pistore missum. — Aequatis ponderibus dedit; sic de larido, sic de perna, de butyro, de reliquis, quorum pondus ipse divisoribus divisa mittenda involueris, ut singula redderent pondere quae pistor poposcerat. Appensis igitur singulis, puerum pistori remisit. Qui dixisse fertur: — Quae dedi, recepi!

Post haec recte vendiderunt sibi invicem; utrum aliis, an minus, ignoro.

P. d. V.

LIBRI RECENS DONO ACCEPTI.

D. DUFRESNE. *Les cryptes vaticanes*. — Romae-Parisiis edid. Desclée, Lefebvre et Soc., MCMII.

Orazio MARUCCHI. *Le catacombe romane secondo gli ultimi studi e le più recenti scoperte*. Compendio della Roma sotterranea con molte piante parziali dei cimiteri e riproduzioni di monumenti. — Romae edid. Desclée, Lefebvre et Soc., MCMII.

Sanctae Eurosiae Virginis Martyris vita a TITO CURTIO sacerdote exarata. — Treiae, typis A. Valentini, MDCCCCI.

De Hilario Altobellio commentariolum a TITO CURTIO digestum. — Treiae, typis A. Valentini, MDCCCCII.

GENNARO ANGELINI. *Ricordi e impressioni di Terrasanta*. — Romae, ex officina Salesiana, 1903.

PROSPECTUS SUBNOTATIONIS
COMM. VOX URBIS IN AN. MDCCCCIII

Premium subnotationis est in Italia Libell. 10; ubique extra Italiam Lib. 15; M. 12; Sch. 12; Doll. 3; Rubl. 6; Flor. 7½; Coron. 15 *recto tramite* mittendum ad

ARISTIDEM LEONORI EQUITEM
COMMENTARI "VOX URBIS", POSSESSOREM ET ADMINISTRATOREM,
ROMAM, via Alessandrina, 87.

PRAEMIA SOCIIS CONSTITUTA.

Qui premium ut supra miserit infra Ianuarium mensem anni MDCCCCIII, praeter Commentarii numeros omnes qui edentur ipso anno MDCCCCIII, accipiet *ad libitum*

a) Librum (vulgo « album ») praecipua Urbis referentem, pulchritudine insignem, atque Commentarii moderatore iubente expresse adstructum; *sive*

b) Urbis e Ianiculo monte prospectum (Tabulam aere cusam metr. 1,10 × 0,24); *sive*

c) Collectionem chartularum electissimarum, quae distinctae coloribus plurima de Roma, iuxta optimarum artium placita, referunt.

QUI NOVOS DABIT SOCIOS

eligit insuper:

a) Libros de disciplinis omnibus, de bonis litteris, de Ecclesiasticis rebus quolibet e bibliopolarum catalogo, usque ad dimidium subnotationis annuae sua, id est in Italia ad Libell. 5; extra Italiam ubique ad Libell. 7, 50; Marck 6; Sch. 6; Doll. 1½; Rubl. 3; Flor. 3½; Coron. 7½. Ipse electos libros describat atque Commentarii administratori significet; gratis mittentur, excepto impendio diritorio Reipublicae debito; *sive*

b) E picturis Urbis grandes duas, photographice redditas, prouti voluerit ac significaverit; usque, ceu supra, ad dimidium annuae subnotationis;

c) *Sin potius cupierit, dimidium subnotationis premium ei remittetur qua pecunia dimiserit.*

Hac ultima conditione (c) modus datur sociis, quo si binos dederint socios novos, ipsi gratis Commentario fruantur; sin, possint amico favere, Commentarium dimidiato pretio praebentes.

Notatum vero plane volumus nos nova omnino sociorum nomina exspectare tradenda; non enim socios novos umquam existimabimus eos, qui nomen suum olim iam Commentario dederunt.